

dec. 66. a num. 1. ad. 16. Sed non video, cur tam fervens quaestio exoriri debeat, cum textus Rubricae clare loquatur dicens: *Precatio*, non *Indicatio*: unde deprecativo, non imperativo seu indicativo modo, ea debere uti Sacerdotes desumere debemus: Ratio multiplex est, sed praecipua eruitur ex verbis S. Jacobi. *Orent super eum, etc.* quam approbat S. Thomas in *supplemento*, qu. 29. art. 8. Barbosa *de potestate Parochi*. n. 35. §. *fit autem*, et Clericatus in enuntiato loco n. 7.

§. XX. Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per Visum, sive per Auditum, etc. deliquisti. R. Amen.

122 123 124 125 Haec forma tradita est a Concilio Florentino, in Decret. Eugenii IV. et a Trident. *sess*, 14. *de Extr. Unct. cap.* 1. Vide apud Clericatum alias varias formas, quibus, in variis Ecclesiis antiquitus Parochi utebantur, *decr.* 68. *per tot.* Repetitur haec forma in Unctione cujuscumque sensus mutato tamen nomine sesus, seu organi, sive membri, quod inungitur: atque hoc ex necessitate praecepti, Barbosa *dict.* num. 34. qui ulterius ait, num. 28. in quinque sensibus ungen- dis, non esse necessarium ordinem servare de necessitate Sa- cramenti, quia mutato ordine, adhuc completa manet significa- tio, Possevin. *dict. cap.* 9. num. 14. Vide significationem Ver- borum hujus formae apud Coninck *dict. disp.* 19. *dub.* 4. *nu- mer.* 14. 15.

Nonnulli in casu ultimae agoniae, quando tempus non sup- petat omnes, et singulas Unctiones faciendi in moribundo, uni- cam Unctionem faciunt in fronte morientis, formam quinque sensuum conglomerando, hoc pacto. *Per istam Sanctam Unc- tionem, etc. Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per Visum, Auditum, Odoratum, Gustum, Locutionem, Tactum, et Gressum. Amen.* Quae forma compendiosa, ob causam ne- cessitatis, utique valet, sed a Rituali don indicatur: et a con- suetudine est tatummodo introducta, et approbata. In quo hoc est advertendum, nempe Verbum *deliquisti* debere ante- poni aliis verbis post *quidquid*: nam si aeger moreretur ante verbum *deliquisti* prolatum, Unctio nulla esset.

ORDO

MINISTRANDI SACRAMENTUM

EXTREMAE UNCTIONIS.

TITULUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 An Laici ministrare possint Sacramentum Extremae Unctionis?
- 2 Solus Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.
- 3 Parocho ex justitia, ratione Officii incumbit illud ministrare.
- 4 Parochus peccat si neget sine causa ministrare illud Infirmo.
- 5 Quivis Sacerdos valide ministrat hoc Sacramentum.
- 6 Solus Parochus extra necessitatem potest ministrare.
- 7 Religiosi absque licentia Parochi ministrantes, excommunicantur.
- 8 Alii Sacerdotes graviter peccant.
- 9 Mappa candida supra mensam paranda in cubiculo Infirmi.
- 10 Altare extemporaneum efformandum in cubiculo Aegroti.
- 11 Patinula pro floccis Gossypii paranda.
- 12 Bombacium ferri debet a Parocho.
- 13 Bombacium partitur in septem globulos, seu floccos.
- 14 Flocci singuli reponendi post singulas unctiones.
- 15 Medulla Panis est maxime abstersiva.
- 16 Quare Panis, et non alia materia proponatur ab Ecclesia?
- 17 Digni Sacerdotis post unctionem lavandi.
- 18 Lumen accendi debet in administratione hujus Sacramenti.
- 19 Candelae accensae parandae pro hac administratione.
- 20 Lumina non ex Candelis sebaceis, neque ex Oleo.
- 21 Membra Infirmi inungenda, prius lavanda si commode fieri possit.
- 22 Res parandae prius indicandae sunt Ministro, seu assistenti Infirmis.
- 23 Administratio hujus Sacramenti non facienda subdole.
- 24 Modus pergendi ad Infirmum cum Oleo Sancto.
- 25 Administratio debet fieri omni decenti pompa.
- 26 Penuria ministrorum nocet huic decori.
- 27 Clericum saltem unum adhibere debet Parochus.
- 28 Si non habeatur minister, Parochus procedat solus.
- 29 Oleum Sanctum non deferitur sine lumine.
- 30 Oleum Sanctum in cubiculo Parochi non servandum.
- 31 Permittitur quando adsit fenestella bene parata.
- 32 Crux sine hasta deferenda est in delatione Olei Sancti.
- 33 Quare sine hasta?

- 34 Pro Cruce nihil exigendum, neque sponte oblatum.
- 35 Sudariolum in aliquibus locis exigebatur.
- 36 Iste abusus a S. C. R. sublatus fuit per Decretum.
- 37 Minister necessario habendus pro deferenda Sacra suppellectili.
- 38 Quomodo se gerere debeat Sacerdos equitando cum Oleo Sancto?
- 39 Bursa pendere debet ante pectus.
- 40 Campanula non est pulsanda in delatione Olei Sancti.
- 41 Nisi deferatur simul cum Sacramento Eucharistiae.
- 42 Campana Ecclesiae pulsanda tantum pro convocando Clero.
- 43 Cotta et Stola vestienda est in domo Infirmi.
- 44 Sine Cotta et Stola neque in casu necessitatis ministrari potest.
- 45 Crux exhibenda Infirmo, ut eam deosculetur.
- 46 Loca quandoque ad sunt, in quibus nihil Christiani apparet.
- 47 Aqua benedicta, et Aspersorium deferenda.
- 48 Religiosi, et Viri boni paucis verbis suadendi ad suscipiendum Sacramentum.
- 49 Viri libertini infirmi, verbis suavibus monendi.
- 50 Spes virtus maxime corroboranda in Infirmis.
- 51 Fidei quoque virtus suscitanda exemplo Apostolorum.
- 52 Preces adhibendae, et promittendae pro salute Infirmi.
- 53 Orationes quae dici non possent in administratione, supplendae in Ecclesia.
- 54 Confessio generalis facienda per Confiteor.
- 55 Potest recitari confiteor vernacula lingua.
- 56 Si Infirmus non valet, fiat per ministrum adstantem.
- 57 Psalmi Poenitentiales recitandi ab adstantibus.
- 58 Litaniae possunt omitti.
- 59 Si Adstantes ignorent Psalmos, possunt recitare Pater, et Ave.
- 60 Ministratio hujus Sacramenti habet initium a Signo Crucis.
- 61 Prima actio vocatur manuum impositio.
- 62 Quid significet manuum impositio?
- 63 Est exorcismus contra potestatem Diaboli.
- 64 Acolythi officium in hac ministracione.
- 65 Si nullus Acolythus adsit, fiant omnia per Sacerdotem ministrum.
- 66 Pollex intingendus est Oleo in summitate tantum.
- 67 Ungues ministri perpoliri prius debent, et rescindi.
- 68 Instante morte, omnia fieri possunt per unicam actionem.
- 69 Crucis signum adhibetur in cunctis Sacramentis.
- 70 Quare prima unctio fiat in oculis?
- 71 Ut commode inungantur, debent claudi.
- 72 Si non servaretur Ordo, adhuc completa esset significatio.
- 73 Formae hujus Sacramenti significatio.
- 74 Verba: *Per misericordiam* sunt necessaria.
- 75 Tercio partium inunctarum facienda a ministro.
- 76 Bombacium non debet reponi in Bursa eadem.
- 77 Alia Bursa ad hoc destinata haberi debet.
- 78 Aures in qua parte inungendae?
- 79 Nares quomodo ungendae?
- 80 Os per unicam unctionem liniri debet.
- 81 Sufficit ut labium unum inungatur.
- 82 Manus in media palma ungendae.
- 83 Sacerdos in exteriori parte manus inungitur.
- 84 Pedes ungenti ad Metatarsum.
- 85 Vel in parte, quae commode porrigi potest.
- 86 Lumbi quomodo ungenti?
- 87 Sufficit unctio supra Os Ischion.
- 88 Leviter tangenda est haec pars, ob titillationem.
- 89 Oleum reponendum, et tergendus digitus pollex.
- 90 Orationes immediate post unctionem.
- 91 Infirmus non dimittendus insalutatus.
- 92 Verba consolatoria dicenda a Sacerdote discessuro.
- 93 Religiosis, et bene moratis Viris pauca dicenda sunt.
- 94 Aqua Benedicta et Crux relinquuntur apud Infirmum.
- 95 In Nosocomiis post Sacramentationem Cruces ponuntur ad pedes Infirmi.

- 96 Aliae suppellectiles non relinquendae in domo Infirmi.
- 97 Familiares monendi ut crescente morbo Parochum avocent.
- 98 Parochus visitare debet Infirmum semel, et bis in die.
- 99 Si mors sit imminens, discedere non debet.
- 100 Animae commendatio non facienda nisi in Agone Infirmi.

Bene instructus Parochus circa ea, quae generaliter, et pro Theologica doctrina sufficiunt ad ministracionem Sacramenti Extremae unctionis, opus est, ut practice quoque edoceatur, ad rite, ac recte executioni demandanda quae ex doctrinarum fonte potavit. Igitur sequenti modo praescribitur Ordo ministrandi hoc Sacramentum.

§. I. Sacerdos igitur hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud Infirmum mensam mappa candida coopertam: itemque Vas, in quo sit Bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas: medullam Panis ad detergendos digitos, et Aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quae deinde accensa, ipsi ungenti lumen praebet. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

1 2 Quamvis inter Theologos quaestio satis famosa sit: An Laici in casu necessitatis possint ministrare Infirmo Sacramentum Extremae unctionis, attamen de fide tenendum est, solum Sacerdotem esse Ministrum legitimum hujus Sacramenti, adeo ut, nullo unquam casu qui sit Sacerdote inferior, possit illud ministrare, et si ministret, illicite, et invalide id faciat. Eugen. IV. in Const. XIX Exultate, §. 14. Conc. Trid. sess. 14. de Sac. Extr. Unct. c. 1. can. 4.

3 4 5 6 7 8 Inter Sacerdotes vero Parochus ratione officii sui, ex justitia obligatur hoc Sacramentum ad Fidelium salutem a Christo institutum subditis ministrare, adeo ut mortaliter peccet, si petenti neget, vel differat sine causa, et excusatione, cum probabili periculo, ne interim Infirmus decedat, Navar. Manual. c. 25. n. 131. Trullench. dub. 2. n. 8. et alii apud Barbos. d. c. 22. nu. 10. Circa quae notat Coninck disp. 19. dub. 9. n. 28. etsi quivis Sacerdos valide hoc Sacramentum conferat, cum non sit actus jurisdictionis, extra necessitatem tamen solus Pastor, seu Parochus, vel alius, cum ejus licentia, id licite confert; quia conferre Sacramenta est officium Pastoris. Unde Religiosi, qui sine licentia proprii Parochi hoc Sa-

cramentum ministrant, excommunicantur, Clem. 1. *de Privilegiis*. Alii quidem Sacerdotes graviter peccant: non tamen excommunicantur, quia nullo jure id probatur.

In necessitate tamen quando alias Infirmus moriturus esset sine hoc Sacramento, quivis Sacerdos posset illud ministrare, quamvis sciret Parochum id aegre fore laturum; quia nullo modo censendum est Ecclesiam velle Infirmum eum tanto suo damno obligare, ut a nullo alio quam a suo Parocho, sine hujus licentia, hoc sacramentum suscipiat, cum ejus salus posset hoc modo periclitari, Suar. *disp. 44. sect. 2. nu. 3.*

9 10 Circa munditiam, et nitorem in administratione hujus Sacramenti, *Acta Mediol.* multa afferunt suo loco: *Mappa candida* a Rituali praescripta efformare debet quoddam Altare extemporaneum, et pro interim. Si enim locus ullus tanto Sacramento convenit, est Altare.

11 12 13 14 Vas quoque parandum est. Istud Vas proprie debet esse patinula, ut sic commodius distribuatur flocci ex gossipio, seu bombacio, aut ex stuppa: quod bombacium defferri debet ab ipso Parocho: saepe enim ipso carent pauperes. Distinguitur, seu partitur in septem globulos istud bombacium juxta septem partes inungendas in Infirmo: sed cum consuetudo sit non inungendi lumbos, sufficit si dividatur in sex partes, quarum quaeque inservit pro utroque pari membro, seu organo inuncto: unico enim flocco abstergendi sunt ambo oculi, ambae aures, ambae manus, etc. atque unus floccus reponendus est post quamlibet unctionem, et alter assumendus.

15 16 Insuper *Medulla Panis* paranda est, quia est valde abstersiva, et obvia in quacumque domo, ideoque ab Ecclesia ob talem facilitatem proponitur.

17 *Aqua* pariter parari debet: nam post fricationem digitorum cum medulla Panis debet Sacerdos digitos suos lavare, ut perfecte ab Oleo mudentur, S. Carolus *Act. 4.* ita haec praescribit: *Parochus digitum pollicem, quo unxit, medulla Panis bene fricat, et Aqua abluit in Vase supradicto: tum manutergio abstergit: abluitionem vero Aquae cum micis refert in Sacrarium.*

18 19 *Candela* similiter in promptu sit; nam etiamsi de die ministretur hoc Sacramentum, necesse est, ut adhibeatur lumen, non solum ad dignitatem Sacramenti, quia in mensa deberet poni candela, et non una deberet esse, sed binae in hoc casu. Adhibet hoc lumen Sacerdos ad bene discernendas partes inunctas, et ad illas tergendas.

20 21 Debet ulterius esse cerea ista Candela, non sebacea, ad decentiam ministerii et ad evitandas inunctiones, et maculas e pinguedinis stillicidio. Multo minus esse debet lucerna cum oleo ad evitandam pariter effusionem, et maculas: debet

enim omni munditie, et nitore administrari hoc Sacramentum; unde nonnisi laudabile esset si partes Infirmi inungendae prius abluerentur ab omni sorde, quantum fieri posset commode, et sine periculo Infirmi, ad Sacri Olei reverentiam, *Act. p. 4.*

22 Demum sciendum est, ut notat *Sacerd. Briwinen.* §. 14. quod de harum singularum rerum praeparatione, Parochus monere poterit eum, qui Extremae unctionis administrationem ab Infirmo missus procuravit.

§. II. Deinde convocatis Clericis, seu Minisutris, vel saltem uno Clerico, qui Crucem sine hasta, Aquam benedictam cum Aspersorio, et Librum Ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit Vas Sacri Olei Infirmorum, sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat, ne effundi possit.

23 24 25 26 Utinam hoc ritu procederent hodie in administratione hujus Sacramenti, nec quasi furtim ad illud ministrandum pergerent! Certe major veneratio, et reverentia illi adhiberetur. S. Carolus, *Act. 4.* hunc ordinem illud ministrandi praecipit: *Parochus vocatus administrandum Sacramentum Extremae unctionis, etc. ut Parochiae suae fideles excitet ad orandum pro Infirmo, et convocet Ecclesiae suae Sacerdotes, Clericosve, quorum ministerio in administratione utatur, Campanae signum dandum curabit, quod a signo Communionis distinguatur.* Unde clare patet, hanc administrationem fieri debere omni decenti pompa, ac solemnitate. Attamen segnitias, et incuria Sacerdotum, et Clericorum in Civitatibus, et penuria eorundem ministrorum in locis foraneis, cogit Parochos pergere solos ad hanc administrationem, omni supellectile gravatos, etiam noctis tempore, et tali incesu, ut ad omne aliud peragendum videantur incedere. Sed ad Rubricam.

27 28 Unum saltem Ministrum Clericum si haberi possit, adhibere debet Parochus; alioquin solus etiam Sacerdos Extremam unctionem conferens, reliqua omnia peragere poterit, et haec videtur esse responsio Alexandri III. *in c. quae sicut, de verb. signif. juncta gloss. ibi. verb. etiam solus*, relat. a Barbo. cum aliis Doctoribus, *p. 2. cap. 22. num. 43. et Pasqualig. dict. T. 1. q. 339. n. 2.*

29 30 31 Rubrica nostra non loquitur de lumine, et de reponendo per Parochum Sacro Oleo in locum suum. Sed Bar-

bos. *d. l. n. 44.* cum Possevin. *c. 9. n. 12.* admonet Parochum, non debere sine lumine Extremam Unctionem deferre, observando in hoc proprii Episcopatus Constitutiones: et existimat venialiter tantum peccare illum, qui sic feret sine causa: qui vero cum causa, nullatenus; et addit (seclusa Episcopi Constitutione) non bene agere eundem Parochum dubitantem de nocte se vocandum fore pro Infirmo periclitante, si vespere ferat Oleum ad suum Cubiculum, ut vocatus expeditius procedat: Vel si de nocte reversus ab administratione Sacramenti, Oleum non reponat in consueta fenestella, seu Repositorio Ecclesiae, sed retineat in cubiculo usque mane: nullum tamen mortale peccatum contrahere citra scandalum vel periculum alicujus irreverentiae. De facto Corsett. *dict. de Extr. Unct. p. 2. c. 6. sect. 1. n. 16.* afferens *Conc. 2. Prov. S. Caroli*, permittit Parochis domi aliquando habere Sanctum Oleum Infirmorum, si fenestellam in ipsa domo, loco dicenti, ac tuto constructam, panno serico circumvestiam, ut in honore sit, et recte custodiatur.

32 33 De cruce modo sermo erit; et credo, quod non ob aliam rationem in hoc casu deferatur Crux sine asta, nisi ob commoditatem ingrediendi domos, cubicula, et saliendi scalas in aedibus Infirmorum. Crux sine asta defertur etiam in sepeliendis Infantibus, sed ob aliam rationem, ut suo loco dicemus.

34 35 36 Pro hac Cruce, quae defertur ad Infirmos, occasione Extremae Unctionis, mos erat in Dioecesi Senogallien. ut Parochi praetenderent quoddam sudariolum, seu Velum; et quatenus hujusmodi sudariolum eis non placeret, exigerent Julium unum. Quae consuetudo discussa in *S. C. Concilii die 24. Maji 1710.* proposito hoc dubio: *An debeatur Velum, seu illius pretium in administratione Olei Sancti, casu, etc.* Responsum fuit negative, neque etiam a sponte dantibus posse recipi; per allegat, ab Ursaya, *discept. Eccl. t. 2. disp. 18. n. 42.* quod concordare videtur cum Innocentiana Taxa adducta a Pignatell. *t. 8. consult. 11.*

37 De Aqua Benedicta, Aspersorio, Rituali, Vase Olei Sancti, et sacco serico, diximus suo loco in Titulo antecedenti; tantummodo venit dicendum de necessitate habendi ministrum, qui totam hanc suppellectilem deferat in associatione Sacerdotis; cui potest etiam supperaddi Cotta, et Stola, si Parochus non publice incedat.

§. III. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, Vas Olei sacco, aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum

appendat, ut commodius, et securius perferat. Procedat autem sine sonitu campanulae.

38 39 Quae diximus de Sacramento Eucharistiae in casu simili, habeantur tamquam dicta etiam pro Sacramento Extremae Unctionis, si cum eo equitandum sit. De Bursa, et Sacculo quoque diximus nonnulla in §. 3. Tituli antecedentis. Unice addo, advertendum esse dum portatur hoc Sacramentum collo appensum, debere Bursam pendere ante pectus Sacerdotis, non ad ventrem, seu post terga, Caval. *dict. t. 9. numer 4.*

40 41 Campanula unice pulsanda, et adhibenda est in deferenda Eucharistia: quod si una cum Eucharistia deferatur etiam aliud Sacramentum, ut diximus in §. 13. antecedentis Tituli, tunc Tintinnabulum pulsatur non ratione Olei Sancti, sed ratione Eucharistiae. Cum autem separatim portatur Oleum Sanctum; omittatur Campanulae sonus per viam, ne Populus genibus flexis illud adoret. Ut enim alia quaedam Sacramenta, ita et hoc sola capitis aperitione honorare sufficit: afferatur tamen semper cum magna reverentia, Brixin, *d. de Extr. Unct. §. 12.*

42 Campanam Ecclesiae pulsandam utique pro hoc Sacramento praescripsit S. Carolus loco supracitato, sed pro convocando Clero, non autem per viam, dum ad Infirmum defertur Sacramentum.

§. IV. Cum perventum fuerit ad locum ubi jacet Infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit: *Pax huic domui* etc.

Quae hic dicenda essent, dicta jam sunt in Titulo antecedenti, §. 17.

§. V. Deinde posito Oleo super mensam, superpelli-
ceo, stolaque violacei coloris indutus, aegroto Crucem pie deosculandam porrigit: Mox in modum Crucis, eum Aqua denedicta, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam; *Asperges. etc.*

43 Verba hujus §. clare demonstrant, Sacerdotem, genera

liter loquendo, non debere esse indutum Stola, et Cotta dum defert hoc Sacramentum, si Rubrica assignat, in hoc loco, tempus hujusmodi vestes induendi: atque haec, meo videri, optima institutio est: non enim laudabile duco, quod Parochus ex improvise appareat coram Infirmo Sacris Vestibus indutus: Accessus hoc modo factus plures Infirmos deterruit, et ad mortem pene duxit ob subitum conceptum timorem moriendi. Ideo satius duco esse, si Parochus suis consuetis Vestibus communibus primo accedat ad Infirmum, et illum suaviter moneat de imminente periculo, et ad bono animo suscipiendum Sacramentum inducat. His peractis, tunc deponere debet Oleum super Mensam paratam, et deinde induere superpelliceum, et Stolam, ut rite, et recte ministret.

44 De superpelliceo, et Stola in his commentariis saepius sermonem habuimus; diximusque esse haec proprie indumenta Sacerdotum in administratione Sacramentorum. Dura circa hoc est sententia Layman. *dict. tract. 8. c. 8. num. 1.* relat. a Barbosa d. n. 41. qui dicit, non licere, etiam in casu necessitatis administrare hoc Sacramentum, non adhibitis Vestibus ab Ecclesia praescriptis. Certe casus necessitatis a multis excusat.

45 46 47 Prima actio in administratione hujus Sacramenti, Crucem respicit; ideo Textus ait, Crucem pie deosculandam tradi debere Infirmo. Si Crux, de qua supra in §. 2. sit cum Parocho, haec exhibenda est, ut eam osculetur Infirmus, nisi alia adsit ad cubile, vel ad manus ipsius. Evenire enim solet, ut in aliquo loco nihil Christianum redolens penitus inveniatur: non Crux, non Aqua benedicta, non Imago ulla veneranda. Circa quod memini, me olim cum dignissimo Parocho pro administratione hujus Sacramenti perrexisse ad domum cujusdam Birruarii, et nihil Sacrum in ejus cubiculo, seu ad ejus cubile invenisse: imo, loco Crucis, et Aspergilli, pendere prope lectulum Infirmi manicas ferreas, funem, et scloppulos, maxima omnium nostrum admiratione. Equidem necessaria illic erat Crux, Aqua benedicta, et Aspersorium, nec in vanum haec omnia secum detulerat prudens Parochus.

De Benedictione, et Aspersione vide quae diximus in Titulo *de SS. Viatico*, §. 17. Ideoque modo nihil.

§. VI. Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat.

Pariter de hoc satis dictum est in eodem Titulo, §. 20. nec aliud addendum.

§. VII. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, ejus animum confirmet, et in spem erigat Vitae aeternae.

48 49 Juxta qualitates, et conditiones Infirmorum facienda sunt quae a Rubrica praescribuntur. In Viris Religiosis, bene moratis, et rectis suadendis ad hoc Sacramentum, pauca adhibenda sunt, et gravia verba. In Viris autem libertinae vitae, et non bene moratis, suavioribus verbis utendum a Parocho, ne deterreat illos, et in desperationem inducat.

50 51 Praeter alia, quae de vi, salutaribusque fructibus hujus Sacramenti exponet Parochus Infirmo, illud etiam persuadebit, ut ea fide se ungendum praebat, qua olim qui a Sacris Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverunt. In primis autem animae salus, deinde etiam corporis valetudo cum conditione, si ad aeternam gloriam profutura sit, expetenda est.

52 Ulterius cum nullum aliud omnino sit Sacramentum, quod pluribus precibus ministretur, cum illo tempore indigeant Fideles magni auxilii, ideo Parochus, et Ministri promittent Infirmo, se quoque operam duros suis deprecationibus ad impetrandam divinae Misericordiae opem.

§. VIII. Postea dicat Versiculum, *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, etc.

53 Si tempus non suppetat recitandi has preces, consulit Barbosa cum aliis Doctoribus, Orationes, et Psalmos postea in Ecclesia suppleri posse, *numer. 17. et 42.*

§. IX. Quae Orationes, si tempus non patiat, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confessione generali, latino, vel vulgari sermone, Sacerdos dicat: *Misereatur tui*, etc. *Indulgentiam*, etc.

Supplendae sunt post administratum Sacramentum istae Orationes, si aeger vivat, ut diximus in antecedenti paragrafo.

54 55 56 Confessio est eadem, de qua in praeteritis ex-